AUGUSTINUS. HUGO DE SANCTO VICTORE
12. Jh. Seite 19r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26328
Copyright: Admont, Benediktinerstift



suis. Vel illud in psalmo centesimo tercio. draco hic quem finxisti
ad illudendum ei. Quam questionem quem non aduersus manicheos qui hoc
non sentiunt sed aduersus alios qui hoc sentiunt suscipienda esset
atque soluenda. pertractare atque enodare tunc nolui. ne librum
multo quam uellem facerem longiorem cum uiderem etiam si hoc concederetur. tamen debere manicheos iam posse conuinci. introducentes
in sanissimo errore naturam mali eterno bono coeternam. Ideo quoque
dixi. quod interim incertum est non quod ego inde dubitarem sed quod inter me et
illos quos ita sapere inueneram. non dum esset ista questio dissoluta. Quam
tamen in aliis longe posterioribus libris meis de genesi ad
litteram secundum scripturas sanctas quanta potui manifestatione
dissolui. Alio loco propterea in qua corporea diligendo peccamus
qui spiritualia diligere et iusticia iubemur et natura possumus. et tunc in
nostro genere optimi et beatissimi sumus. Vbi queri potest cur
natura non gratia possumus dixerim. Sed contra manicheos questio de naturis
uersabatur. et utique id agit gratia. ut sanata natura quod uiciata non
potest. possit per eum qui uenit querere et saluum facere quod perierat.
Quam tamen gratiam etiam recolens oraui pro familiarissimis
meis. qui mortifero illo adhuc tenebantur errore et dixi.
Deus magne deus omnipotens. deus summe bonitatis. quem inuiolabilem.
incorruptibilem atque incommutabilem credi atque intellegi
fas est trina unitas quam catholica colit ecclesia supplex
oro expertus in me misericordiam tuam. ne homines cum quibus mihi a puericia
in hominum uictu fuit summa consensio in tuo cultu a me dissen
tire permittas. Sic utique orans iam fide retinebam. non solum
conuersos ad deum. gratia eius adiuuari ut proficiant atque perficiantur.
ubi adhuc dici potest pro merito conuersionis illorum istam dari
gratiam. uerum etiam ut conuertantur ad deum. ad ipsam dei gratiam
pertinere. quando quidem pro eis oraui. qui erant ab illo nimis
auersi atque ut ad illum conuerterentur oraui. Hic liber sic incipit.